


1676  
Illustri Viro Constantino Hugenio Seelenio

S. P. D.

Ioanner Georgius Graevius.




Ante hos septem annos fidem dedi Illustrissimo Duci Montaserio  
me Ciceronem, cuius editionem adorno, Galliarum Delphino dedi-  
catorum. Saepe me butus promissi Montaserius admonuit, et nu-  
per admodum semel iterumque vellebat aurem, cum mihi mitteret  
sex scriptores Latinos in Delphini usum & gratiam editos. Sed  
per temporum horum tristitiam nec pensum hoc mihi licuit  
maturius detexere, nec nunc, cum epistolarum ad familiares,  
ut vocant, volumen post tantas moras tandem prodit, mihi huius  
per belli, quod inter nos & Gallos geritur, mala fidem datam  
liberare, nisi Serenissimus Princeps Arausionensis hanc mihi  
veniam dederit. Sapientissimus Principum forte non diffi-  
cilem se praebit, qui unus omnium novit optime sancta et  
innocua esse Musarum commercia, quae in secessibus suis procul  
ab armorum strepitu & vulgi fabulis cantando & meditando  
aetatem oblectent, securae

quid Tiridatem terreat unice.

Si censes Serenissimum Principem posse de hoc instituto meo  
consuli sine offensa, sique pro tua prudentia captatis mollibus

fandi temporibus Eius sententiam explorare dignatus fueris,  
summis tuis in me meritis magnus accedet cumulus. Sin suspici-  
osissimo tempore hoc mentionem istius rei securi accipi posse putas,  
oblitteretur per me. Malo enim illic fidem meam accusari, quam  
hic studium in hostes. Amore patriae nulli mortalium concedo.  
Haec autem mihi patria est, quae me sinu suo tam benigne  
fovet ac tuetur. Invidiam populi, si quam habuerit huius  
frontis, ut ita dicam, oculiferum, dedinare poterimus,  
si non nisi iis exemplaribus, quae in Galliam mittuntur, haec  
praefigatur dedicatio, donec hae turbae, reddita pace,  
consulescant. Florus nunc hic sub proelo sudat, a me nun-  
quidam videbis. Vale Vir Nobilissime. Illustri Paren-  
ti ac fratribus salutem dico. verbis amantissimis & officio-  
sissime. Trajecti Batavorum a. d. IX Kal. Novembris  
Julias CLX LXXVI.



Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is written in a cursive script and is mostly obscured by the paper's texture and discoloration.